



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XVI. De presbytero qui dato munere alterius ecclesiam ambierit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

XIII.

Obseruandum vobis est, vt & vos ab ebrietate abstinatis: & vt plebes vobis subditæ abstineant se, illis prædicetis: & neque per tabernas eatis bibendo, aut comedendo, neque aliorum domos, aut vicos, curiositate quilibet peragretis: neque cum feminis, aut cum quibuslibet & impuris personis conuiuia exerceatis; nisi forte patrefamilias quilibet vos ad domum suam inuitauerit, & cum coniuge sua & prole velit vobiscum spirituali gaudio lætari, & verborum vestrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem caritatis officio exhibere. Oportet enim vt si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis spiritualibus.

XIV.

Nullus presbyter fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ de alterius presbyteri parochia persuadeat vt ad suam ecclesiam concurrant, relicta propria ecclesia, & suas decimas sibi dent. Sed vnusquisque sua ecclesia & populo contentus, quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat, iuxta illum euangelicum sermonem: *Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hæc eadem facite illis: Quisquis autem contra hæc constituta venerit, aut his monitis nostris reniti tentauerit, aut gradum se sciat amissurum, aut in carcere longo tempore detinendum.* Math. 7.

XV.

Hoc quoque modis omnibus prohibemus, vt nullus vestrum alterius clericum sollicitet, aut recipiat: quia grauis de hac re in sacris Canonibus sententia est.

XVI.

Si quis presbyter inuentus fuerit alicui clerico aut laico munera dare aut dedisse, vt ecclesiam alterius presbyteri subripiat, sciat se pro hac rapina & sæua cupiditate aut gradum amissurum, aut in carceris ærumna longo tempore poenitentiam * agendi detinendum.

XVII.

Si paruulus ægrotans ad quemlibet presbyterum baptismi gratia de cuiuslibet parochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectauerit, & ille paruulus abs-